






CONCILIUM

NEO-EBORACENSE

PRIMUM.

HABITUM ANNO MDCCCLIV.

NEO EBORACI:
APUD EDUARDUM DUNIGAN ET FRATREM,
TYPOGRAPHOS ET BIBLIOPOLAS,
VIA VULGO DICTA FULTON, No. 151.
1855.

Catholic church in the U.S. Province of New York Synod.

CONCILIUM

NEO-EBORACENSE

PRIMUM.

HABITUM ANNO MDCCCLIV.

NEO EBORACI:
APUD EDUARDUM DUNIGAN ET FRATREM,
TYPOGRAPHOS ET BIBLIOPOLAS,
VIA VULGO DICTA FULTON, No. 151.
1855.

ACTA CONCILII.

SABBATO quod erat dies trigesimus Septembris, anno Salutis MDCCCLIV inceptum est Concilium Primum Neo Eboracense. Hora septima P. M. convenerunt in aedibus Archiepiscopalibus Illm̃i ac Revm̃i Praelati ad concilium provinciale habendum ex litteris convocationis Illm̃i ac Revm̃i D. Neo Eboracensis.

Aderant autem Revm̃us ac Illm̃us Archiepiscopus, Revm̃i ac Illm̃i Episcopi ejus suffraganei septem:—I. Albanensis; II. Bostoniensis; III. Buffalensis; IV. Hartfordensis; V. Brooklynensis; VI. Newarcensis; VII. Burlingtoniensis. Conveniunt igitur hora jam dicta Revm̃i ac Illm̃i praelati supradicti, ad consessum privatum habendum apud Revm̃um D. Archiepiscopum ut regulas quasdam statuant pro negotiis Concilii ordine tractandis, et ut illorum nomina proponantur quos crastina die in Officiales Concilii eligere placeat.

Proponente Revm̃o D. Archiepiscopo, sequentes officiales nominantur.

Promotor, Illm̃us ac Revm̃us D. JOANNES MCCLOSKEY, Episcopus Albanensis.

Secretarii, Rev. D. Jeremias W. Cummings, S. T. D., et Rev. D. Thomas S. Preston.

Magister Cæremoniarum, Rev. D. Franciscus McNierny.

Cantores, Rev. D. Cornelius Franciscus Smarius, S. J., et D. Hector Glackmeyer, S. J.

Proponente eodem Revmo et Illmo Domino Archiepiscopo, sequentia inter Patres communi consilio stabilita sunt:

De rebus tractandis in tribus congregationibus Patrum particularibus agatur.

Primæ congregationi de quaestionibus ad disciplinam et jurisdictionem Ecclesiasticam pertinentibus, intererunt Bostoniensis et Albanensis.

Secundae congregationi de quæstionibus ad bona Ecclesiastica pertinentibus, Hartfordensis et Newarcensis.

Tertiæ congregationi cujus erit de puerorum Catholicorum educatione, et de foliis publicis agere, intererunt Albanensis, Buffalensis, et Brooklynensis.

Quotidie hora decima A. M., convenient PP. omnes in Ecclesia ubi post invocationem S. Spiritus, Archiepiscopus, vel alius congregationis particularis præses, ordine servato ea referet quæ visa fuerint plerisque, et decretum proponetur.

Congregationibus generalibus privatis PP. soli Secretarii Concilii, præter Patres adsint. Hora prima P. M. prandium erit apud Revmum D. Archiepiscopum ad quod præsules omnes et theologi invitantur. Legitur capitulum Scripturae et sub finem Martyrologium. Ho-

ra tertia P. M. præsules et sacerdotes omnes qui quovis nomine concilio intersunt convenient in Ecclesia, ubi ea legentur quae decernenda visa fuerint, vel quæ Patres theologorum examini subjicere velint; et si quis animadversiones facere cupiat audiatur.

Statutum est sequentes Epistolas esse scribendas:

1. Bostoniensi in nomine Patrum ad Summum Pontificem.

2. Burlingtoniensi, gallico sermone ad Societatem ad fidem propagandam.

3. Pastoralem ab RR. Archiepiscopo ad clerum populumque fidelem hujus provinciæ.

Sequentes quæstiones a Patribus pertractandas in concilio proponebat Illm̃us ac Revm̃us Neo Eboracensis:

I. An aliquid statuendum sit de jurisdictione exercenda in vicina Diœcesi a Presbyteris qui in limitibus propriæ Diœcesis sunt constituti.

II. De bonis ecclesiasticis tam mobilibus quam immobilibus et de modo ea possidendi et conservandi.

III. De puerorum Catholicorum educatione, et quænam media sint adhibenda ne eorum fides subjiciatur perversionis periculo in locis ubi hi pueri scholas publicas adeunt. Alias quaestiones proponebat Illm̃us. et Revm̃us. Hartfordensis.

SESSIO PRIMA SOLEMNIS.

Die primo Octobris qui erat Dominica XVII. post Pentecosten, A. D. MDCCCLIV, convenerunt Patres

omnes cum suis theologis in ædibus Archiepiscopalibus, unde processione ordinata petierunt Metropolitanam Ecclesiam S. Patricii, Archiepiscopus et Episcopi pluvialibus induti ac mitris; Sacerdotes autem indumentis sacerdotalibus, stolis nempe et planetis.

Missam de Spiritu Sancto celebravit Illm̃us. ac Revm̃us. D. Episcopus Albanensis, cui adstiterunt Adm. Rev. Gulielmus Starrs, archidiaconus; Rev. D. Bernardus Farrell, diaconus, Rev. D. Daniel Durning, subdiaconus.

Diaconi vero fuerunt juxta thronum Archiepiscopi adsistentes Adm. Rev. Michael McCarron et Rev. D. Gulielmus Quinn.

Concionem ad populum habuit Illm̃us ac Revm̃us D. Archiepiscopus.

Absoluto sacro, Sessio prima solemnis hujus Concilii provincialis habita est.

Praeter Patres eidem interfuerunt sequentes: Adm. Rev. P. Clemens Boulanger, S. J., Superior Missionis Canadensis et Neo Eboracensis.

Theologi ab Episcopis vel secum adducti vel Neo Eboraci designati:

A Revm̃o et Illm̃o Archiepiscopo.

Adm. Rev. Gulielmus Starrs, V. G.

Adm. Rev. Michael McCarron, Rev. Thomas Martin, O. S. D.

A Revm̃o et Illm̃o Albanensi, Adm. Rev. Joannes J. Conroy, V. G.

A Revm̃o et Illm̃o Bostoniensi, Rev. D. Joannes M. Forbes.

A Revmo et Illmo. Buffalensi Rev. D. GULIELMUS QUINN et Rev. JOSEPHUS HELMPRECHT, C. SS. R.

A Revmo et Illmo Hartfordensi, Rev. D. MATTHÆUS HART.

A Revmo et Illmo Brooklynensi, Adm. Rev. D. JOANNES RAFFEINER, V. G.

A Revmo et Illmo Newarcensi, Adm. Rev. D. PATRICIUS MORAN.

A Revmo et Illmo Burlingtoniensi, Adm. Rev. D. PETRUS M. MIGNAULT.

Adfuerunt etiam Rev. D. JEREMIAS W. CUMMINGS, S. T. D. et Rev. D. THOMAS S. PRESTON, designati Secretarii.

Habita est igitur sessio juxta praescripta Pontificalis Romani.

Perlecta sunt decreta Concilii Tridentini de Professione fidei et de Residentia; et Fidei professio juxta formulam a Pio IV. propositam emissa est.

FORMA JURAMENTI.

"EGO N. firma fide credo et profiteor omnia, et singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur; videlicet, Credo in unum Deum Patrem omnipotentem factorem cœli et terræ, visibilium omnium, et invisibilium. Et in unum

Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine: et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in cœlum; sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos; cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum, et vivificantem; qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur; qui locutus est per Prophetas. Et unam Sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen. Apostolicas, et Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, et constitutiones firmissime admitto et amplector."

"Item sacram Scripturam juxta eum sensum quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor."

"Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novæ legis, a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis licet non

omnia singulis, necessaria, scilicet: Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium; illaque gratiam conferre; et ex his Baptismum, Confirmationem, et Ordinem, sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio et admitto: omnia et singula quæ de peccato originali, et de justificatione, in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio."

"Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, et propitiatorium sacrificium, pro vivis, et defunctis; atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse vere, realiter, et substantialiter corpus, et sanguinem, una cum anima, et divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat."

"Fateor etiam sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse; eosque orationes Deo pro nobis offerre; atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem

impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse; illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam, et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem, et magistram agnosco; Romanoque Pontifici, beati Petri Apostolorum principis successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac juro. Cetera item omnia a sacris Canonibus, et Œcumenicis Conciliis, ac præcipue a sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, et declarata, indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas, et rejectas, et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, et anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, et veraciter teneo, eamdem integram, et inviolatam, usque ad extremum vitæ spiritum, constantissime (Deo adjuvante) retinere, et confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, et prædicari, quantum in me erit, curaturum, Ego idem N. spondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia."

Tandem Benedictione solemni ab Illmo. ac Revmo Archiepiscopo impertita, omnes processionaliter ad aedes Archiepiscopales reversi sunt.

CONGREGATIO PRIMA PRIVATA.

FERIA II. DIE II. OCTOBRIS HABITA.

Hora decima A. M. conveniunt Patres rochettis et mozettis induti in sacristia ecclesiae Metropolitanae ad congregationem habendam. Præter Patres adfuere tantum Concilii Secretarii.

Quaestiones a Patribus propositae quatuor congregationibus theologorum delatae sunt:

Primae congregationi cui intersunt Adm. Rev. DD. Gulielmus Starrs, Patricius Moran, et Joannes Raffeiner, quæstio "De Bonis Ecclesiasticis."

Secundæ Congregationi cui intersunt Adm. Rev. Michael McCarron, Rev. DD. Joannes M. Forbes, et Matthæus Hart, quæstio tertia "De Jurisdictione in diœcesi vicina exercenda."

Tertiæ congregationi, cui intersunt Adm. Rev. D. D. Clemens Boulanger, S. J., Petrus M. Mignault, et Joannes J. Conroy quæstio prima "De puerorum educatione."

Quartæ congregationi cui intersunt Rev. DD. Josephus Helmprecht, C. SS. R., et Gulielmus Quinn, alia quæstio ab Illmo. Hartfordensi proposita.

Latum est decretum Primum "*Patres Concilii.*"

Quum hora advenisset qua de episcopo ad sedem Portlandensem nominando agendum esset, recesserunt Secretarii

CONGREGATIO PRIMA PUBLICA,

Eodem die, hora tertia P. M. in Ecclesia metropolitana habita

Adfuere Patres omnes necnon theologi a Patribus vel adducti vel designati. Quæstiones quæ congregationibus theologorum mane delatæ sunt ab RR. Archiepiscopo et aliis PP. sunt elucidatæ.

CONGREGATIO SECUNDA PRIVATA.

FERIA TERTIA, DIE III. OCTOBRIS HABITA.

Adfuere PP. omnes cum concilii officialibus. Argumentum erat inter PP. de quæstione quinta. Quæstio sexta Congregationi primæ theologorum delata est. Actum est etiam de quæstionibus VII., VIII., et IX.

Quæstio decima delata est congregationi secundæ theologorum.

Ad mentem Buffalensis argumentum erat inter PP. utrum expediat S. Sedi supplicare pro permissione incensum adhibendi ad Offertorium in Missa Cantata quæ sine Diacono et Sub-Diacono celebretur. Attamen cæteri PP. responderunt negative.

Ab Albanensi quæstio allata est utrum aliquid statuendum sit de foliis publicis quæ catholicum nomen præ se ferunt et negotia ad ecclesiam ejusque ministros pertinentia in typis pertractant. Quæstio hæc congregationi particulari theologorum est commendata. Congregationi huic intersunt Adm. R. D. J. J. Conroy, Adm. R. D. Patricius Moran, R. D. Joannes M. Forbes.

Alia quæstio, "quoniam banna matrimonii publicanda in provincia nostra mox erunt, quid domicilium constituere hisce in regionibus sentiatur," commendata

est congregationi theologorum cui intersunt Adm. R. D. GULIELMUS STARRS, Adm. R. D. PETRUS M. MIGNAULT, Rev. D. MATTHÆUS HART.

CONGREGATIO SECUNDA PUBLICA

Eadem die, hora tertia P. M.

Sententiæ theologorum de quæstionibus sibi a PP. traditis in lucem prolatæ sunt. De hisce quaestionibus argumentum inter theologos Patribus interrogantibus habitum est.

SESSIO SECUNDA

DIE IV. OCTOBRIS.

Hora nona A. M. convenerunt in Ecclesia, PP. omnes et theologi. Missam pro defunctis præsulibus hujus provinciæ celebravit Illm̃us ac Revm̃us D. Episcopus Burlingtoniensis; cui adstiterunt Adm. Rev. GULIELMUS STARRS, Archidiaconus, Rev. D. BERNARDUS FARRELL, Diaconus, Rev. D. DANIEL DURNING Subdiaconus.

Finita Missa concionem ad populum habuit Illm̃us et Revm̃us D. Buffalensis.

Absolutio a Revm̃o. et Illm̃o. D. Neo Eboracensi facta est, qua finita prælati omnes pluvialia et Mitras sumpserunt, et habita est sessio secunda solemnis ad normam Pontificalis Romani; hodie tamen nulla lecta sunt decreta.

CONGREGATIO PUBLICA TERTIA.

EODEM DIE—HORA III. P. M. HABITA.

Agitur apud Patres de quæstionibus theologis jam subjectis, et multa in medium allata sunt, sed propter temporis brevitatem rerumque considerandarum gravitatem placuit Revm̃is ut denuo in congregationibus de iisdem quæstionibus ageretur.

CONGREGATIO PRIVATA TERTIA

FERIA QUINTA DIE V. OCTOBIS—HORA X. A. M.

Adfuere PP. omnes cum officialibus.

Disceptatum est inter Patres de jurisdictione a sacerdotibus exercenda in diœcesi vicina, tamen ad nullam regulam stabiliendam ventum est.

De bonis ecclesiasticis, et de modo ea possidendi fuit argumentum, et Congregatio cui delata fuerat talis quæstio, responderunt non expedire de re conciliariter agere.

CONGREGATIO PUBLICA QUARTA.

EODEM DIE—HORA III. P., M.

Congregationes theologorum quibus commissae fuerant quæstiones hesterna die, responderunt et lectae sunt earum relationes. Quæstio inter theologos tunc habita est an aliquid de foliis publicis decerni possit, et insuper quid sentiri et statui debeat de domicilio. Denique quæstiones novae a Revm̃o Promotore allatae sunt.

1°. "An expediat regulam aliquam statuere quæ mutuo definiat et explicet officia Pastoris ejusque Vicarii vel Assistentis?"

2°. "An expediat decernere ut presbyterium vel pastoralis residentia provideatur in omni casu quo ecclesia existat vel ædificetur, et ut talis residentia sub eodem titulo quo reliqua ecclesiastica bona ab Ordinario possideatur."

Prima quæstio congregationi speciali theologorum data est, cui interfuerunt Adm. R. D. MORAN, Rev. D. D. QUINN, et HART.

Quæstio secunda congregationi tertiæ tradita est.

CONGREGATIO QUARTA PRIVATA

FERIA SEXTA, HORA X. A M.

Adfuere Patres omnes. Argumentati sunt PP. de sacerdotibus ecclesias suas debitis onerantibus, et latum est decretum quod incipit "*Cum non raro acciderit*" duobus PP. dissentientibus. Congregatio cui delata est quæstio de puerorum educatione decretum proposuerunt "*Patres Concilii*" quod uno dissentiente latum est. Lata sunt quoque decreta sequentia: "*Patribus imprimis visum est,*" et "*Haud supervacaneum.*" Circa finem recedentibus secretariis actum est de erectione sedis Bostoniensis in sedem Archiepiscopalem.

CONGREGATIO PUBLICA QUINTA.

EODEM DIE HORA III. P. M.

Quæstio inter theologos ventilata est an expediat aliquam regulam statuere de officiis Pastoris ejusque Vicarii.

Congregatione hac ad finem perducta, Illm̃us ac Revm̃us Metropolitanus theologos humaniter admodum gratioseque affatus est, eisdem PP. omnium nomine gratias referens propter labores ab eis assidue et alacriter perlatos.

CLONGREGATIO QUINTA PRIVATA.

SABBATO DIE VII. HORA X. A. M.

Adfuere Patres excepto Illm̃o ac Revm̃o Promotore qui propter mortem sororis abfuit.

Disceptatum est inter Patres de quæstione an expediat regulam aliquam sancire de residentiis pastoralibus erigendis. Latum est decretum "*Meminerint sacerdotes*," duobus PP. dissentientibus.

CONGREGATIO SEXTA ET ULTIMA PRIVATA.

HORA III. P. M. EODEM DIE.

Adfuere PP. omnes excepto Illm̃o ac Revm̃o Episcopo Albanensi.

Perlectæ sunt et approbatæ epistolæ sequentes: Epistola ad summum Pontificem a Bostoniensi conscripta.

Epistola ad Societatem ad fidem propagandam.

Epistola Pastoralis ad clerum populumque hujus Provinciæ.

Patribus placuit decreta hujus Concilii ad pedes SSmi D. N. PAPÆ deferri per manus Buffalensis. Patribus placuit ut S. Sedi supplicaretur, facultates jam ad biennium datas renovare, et ad quinquennium benique concedere.

Delecti sunt Bostoniensis et Buffalensis qui actis a Secretariis recte conscribendis invigilarent.

SESSIO TERTIA SOLEMNIS.

DIE VIII. OCTOBRIS QUI ERAT DOMINICA XVIII. POST PENT.

Hora decima facta est processio Patrum Omnium, theologorum et multorum Sacerdotum ab ædibus Archiepiscopalibus ad ecclesiam Metropolitanam. Missam celebravit Illmus ac Revmus Archiepiscopus, cui adstiterunt Archidiaconus, Adm. Rev. D. GULIELMUS STARRS, diaconus, Rev. D. BERNARDUS FARRELL, subdiaconus Rev. D. DANIEL DURNING, diaconi autem prope thronum assistentes Adm. Rev. D. MICHAEL McCARRON et Rev. D. GULIELMUS QUINN.

Missa absoluta, concionem ad populum habuit Illmus ac Revmus D. Albanensis. Deinde cantati sunt psalmi et Orationes juxta præscripta Pontificalis Romani pro ultima sessione. His finitis Patres omnes, decretis super altare majus positis, nomina juxta ordinem subscripsēre.

2

Deinde astantibus omnibus factæ sunt acclamationes.

ACCLAMATIONES.

Regi saeculorum immortali, Deo Optimo Maximo, Ipsi honor et gloria in saecula saeculorum.

Chor. Dignus est Dominus Deus noster accipere gloriam et honorem et benedictionem in saeculum saeculi.

Beatissimae Matri Dei Mariae Virgini, sine labe originali conceptae, laus et honor in aeternum.

Chor. Beatam illam dicent omnes generationes et sit benedicta in saeculum.

Beatissimo Pio Papae et Domino nostro, principis Apostolorum successori, totius Ecclesiae capiti ac vero Christi in terris vicario, multi anni et diuturna prosperitas.

Chor. Effundat super eum Deus noster abundantes divitias gratiae Suae et inimicos S. Sedis ad nihilum reducat.

Revmo Domino Archiepiscopo Neo-Eboracensi hujus concilii praesuli cum multis annis magnae gratiae.

Chor. Accipiat benedictionem a Domino in tempore praesenti, et in futuro saeculo coronam gloriae.

Revmis et Dominis Episcopis qui ad hoc concilium celebrandum accesserunt, incrementum gratiae cœlestis, et felix ad Ecclesias suas reditus.

Chor. Deus mittat eis auxilium de Sancto et de Sion semper tueatur eos.

Episcopis et Presbyteris provinciae hujus qui bonum certamen certantes obdormierunt in Domino, sors inter Sanctos.

Chor. Lucem perpetuam et plenam mercedem bonorum operum tribuat eis Dominus Deus noster.

Fidelibus populis provinciarum nostrarum et universo Dominico gregi pax a Deo Patre nostro, et Christo Jesu Filio Ejus.

Chor. Ipse Deus pacis sanctificet eos per omnia tribuens eis tempus bene vivendi et spatium bene moriendi.

Decreta hujus Sanctæ Synodi assidua veneratione prosequamur et fideliter custodiamus.

Chor. Semper veneremur, semper custodiamus.

Juxta monitum apostolicum et propheticum, satagamus nos, fugientes mundi corruptionem constanter adhaerere Deo, donec occurramus omnes in mensuram aetatis plenitudinis Christi et in terram viventium. Amen. Amen.

His finitis cantatus est hymnus *Te Deum*, necnon ab Archiepiscopo Orationes praescriptae, et impertita ab eodem benedictione solemni, omnes processionaliter ad aedes Archiepiscopales sese receperunt.

DECRETA.

I.

PATRES concilii hujus Neo Eboracensis primi provincialis, prae omnibus et ante omnia, reverentiam illam, obsequium atque amorem quibus Sanctam Sedem Apostolicam Romanam prosequuntur, in medium proferre et palam proclamare gestiunt. Atque ideo Beatissimum Pontificem Pium IX. tanquam Sancti Petri successorem, Christi Salvatoris ac Magistri nostri Vicarium, totius Episcopatûs ac omnium Ecclesiarum caput jure divino constitutum, cui etiam omnia ab ipsis in hac synodo agenda subjecta esse fatentur, corde ac animo agnoscunt et venerantur.

II.

Patribus imprimis visum est ea omnia quae in septem conciliis provincialibus Baltimorensibus, necnon in plenario ejusdem civitatis concilio sunt decreta et Apostolicae Sanctae Sedis Romanae auctoritate probata *vel respective* sancita denuo promulgare; omnesque hujusce Provinciae viros ecclesiasticos commonere, eadem ab ipsis tanquam agendi normam, prae oculis habenda seduloque in omnibus esse servanda.

III.

Cum non raro acciderit ut gravia exorta sint mala propter debita a Sacerdotibus sive in aedificandis sive in amplificandis aut ornandis ecclesiis contracta, penitus inhibemus ne Sacerdotes inconsulto Ordinario aere alieno ecclesias gravare praesumant.

IV.

Patres concilii Sacerdotes omnes monitos volunt ut quae per plenarii concilii Baltimorensis decreta XII. et XIII. lata sunt exequi omni studio conentur, eosque Domini et Servatoris nostri nomine, enixe hortantur fidei et moribus puerorum, *eorumque vere catholicae institutioni qua maxima cura invigilare, eos praesertim avertendo ab iis quae indifferentismum inducere valeant.*

V.

Haud supervacaneum Patres censuerunt sacerdotes monere, eos praesertim qui sive in diœcesibus recenter erectis, sive in veteribus diœcesibus ex quarum territorio novae sunt desumptae versantur, ipsis non esse licitum facultates extra limites diœceseos propriae exercere absque alterius Ordinarii consensu.

VI.

Meminerint sacerdotes qui ecclesiis sive jam aedificatis sive aedificandis sunt praepositi, quam primum

operam omni studio dare ut Presbyterium seu domus pastoralis quandocumque fieri potest, prope ipsam ecclesiam aedificetur, atque Ordinario diœcesano prout cœtera bona ecclesiastica titulo assignetur.

✠ Ego Joannes *Archiepiscopus Neo Eborancensis definiens subscripsi.*

✠ Ego Joannes *Episcopus Albanensis definiens subscripsi.*

✠ Ego Joannes Bernardus *Ep. Bost. definiens subscripsi.*

✠ Ego Joannes *Ep. Buffalensis definiens subscripsi.*

✠ Ego Bernardus *Ep. Hartfordensis definiens subscripsi.*

✠ Ego Joannes *Ep. Brooklynensis definiens subscripsi.*

✠ Ego Jacobus *Episc. Newarcensis definiens subscripsi.*

✠ Ego Ludovicus *Ep. Burlingtonensis definiens subscripsi.*

EPISTOLA

AD SANCTISSIMUM.

Beatissime Pater,

QUÆ a nobis in Prima Neo-Eboracensi synodo provinciali, cui hodie finem facimus, acta et decreta sunt, haec omnia, prout auctoritate Tua apostolica atque judicio supremo firmanda vel emendanda, Sanctitati Tuae, qua maxima possumus et debemus obedientia subjicimus. RR. et Illustriss[us] Episcopus Buffalensis, qui hac in parte Procuratoris nostri vices gerit, concilii acta Sanctitati Tuae porriget, et omnia, si opus fuerit, fusius exponet.

Felicem quidem existimamus insignem istum Antistitem cui contingit Te, omnium fidelium Patrem, adire et praesentem colloqui: futurumque speramus ut dum ipse ad pedes Paternitatis Tuae provolutus amantissimi obsequii nostri sensus exprimet, Tu in nos etiam et populos nobis commissos mentis oculos advertas apostolicamque benedictionem effundas.

Interea Superni Patris misericordiam precamur ut Te, totius Ecclesiæ summum Rectorem, elisa Xiani nominis hostium superbia, consiliisque devictis, felicem diu incolumemque conservet.

Neo-Eboraci, Die VII. Octobris A. D. 1854.

EPISTOLA

AD

SOCIETATEM AD FIDEM PROPAGANDAM.

NEW YORK, 9 *Oct.*, 1854.

MESSIEURS LES MEMBRES DES CONSEILS DE L'ŒUVRE DE LA PROPAGATION DE LA FOI.

MESSIEURS,

NOUS venons, avec l'aide de Dieu et à la grande édification des fidèles, de terminer heureusement le premier concile de la nouvelle province de New York. Notre premier besoin, après nous être adressés au Père commun des fidèles, est d'exprimer d'une voix unanime notre reconnaissance à la société de la Propagation de la Foi.

Dans le vaste territoire, qui forme maintenant la Province Ecclésiastique de New York, il n'y avait, il y a trente ans, que *deux Evêques*, *onze prêtres* et environ quarante mille Catholiques: aujourd'hui nous y comptons un Archevêque avec huit suffragans, tout près de cinq cents prêtres et environ *un million* de Catholiques.

A la vue de ces progrès rapides de notre sainte religion, il nous est impossible de ne point reporter nos pensées vers cette société admirable de la Propagation de la Foi, à laquelle nous sommes en grande partie redevables pour un si grand bienfait; il nous est égale-

ment impossible de nous séparer sans vous témoigner notre reconnaissance à vous, Messieurs, qui en êtes les représentants, et en distribuez les fonds avec tant de sagesse. Ces millions de pauvres immigrants ; qui se rendent annuellement dans nos diocèses respectifs, et qui trouvent, grâce à votre charité, des prêtres et des autels ; ces pauvres brebis égarés, que nous avons la consolation de ramener tous les ans dans le bercail de l'unique pasteur ; ces nombreux orphelins tendrement élevés par nos bonnes religieuses, ce nombre encore plus grand de jeunes enfants préservés dans nos écoles Catholiques du poison de l'hérésie, ce corps de missionnaires zélés, que vous soutenez par vos prières et vos aumônes, tous nos fidèles, en un mot, unissent leur voix à la nôtre pour vous témoigner leur vive et bien sincère reconnaissance.

Depuis longtemps, Messieurs, nous désirions établir parmi nous la société de la Propagation de la Foi, mais les circonstances dans lesquelles nous nous trouvions, ne nous ont pas permis de le faire dans tous les diocèses. Les Pères du concile de New York ont résolu de prendre des mesures immédiates pour la propager dans leurs diocèses, et ils s'empressent de vous communiquer cette résolution adoptée unanimement dans leur première assemblée.

Il est malheureusement trop certain qu'il existe maintenant dans ce pays des coalitions secrètes et puissantes, dont le but n'est rien autre que d'abolir le Catholicisme aux Etats-Unis, témoin les insultes, les calomnies journalières aux quelles nous sommes exposés,

témoin ces églises que l'on a incendiées ou démolies. A Dieu ne plaise que nous soyons découragés. Marie Immaculée est notre puissante et glorieuse protectrice, et l'extension déjà si grande du Catholicisme parmi nous, est un gage des miséricordes de Dieu sur notre église. Oui ! nous en avons la conviction, Dieu veut communiquer la lumière de la foi à ce peuple qu'il a conquis par le sang de son Fils : nous disons plus : Dieu veut se servir de notre nation, pour ramener à la vérité, ces peuples éloignés auxquels elle a accès par l'extension de son commerce.

Permettez nous donc, Messieurs, de solliciter instamment la continuation des secours que vous nous avez accordés. Le bien, que ces allocations nous aideront à opérer, est un bien, qui aura des effets permanents. Nous vivons au milieu d'un peuple intelligent, civilisé, sur un territoire vaste et fertile : il nous est donc donné d'espérer, suivant le cours ordinaire de la Providence, que nos institutions pieuses seront une source de sanctification pour la génération présente et pour celles à venir, au milieu d'un peuple qui paraît destiné à jouer un grand rôle dans l'histoire des nations.

Il nous est impossible, dans une lettre, de vous exposer l'entendue de nos besoins. Si nous nous réjouissons d'avoir pu établir quelques écoles et Orphelinats, notre cœur est navré de douleur en pensant que la *plus grande* partie de nos enfants reste exposée aux dangers de l'erreur, à la contagion du mauvais exemple, sans un nombre suffisant de maîtres pour les instruire, de prêtres pour les sanctifier par les sacrements. Sou-

vent nous nous réjouissons d'apprendre qu'une nouvelle église vient d'être consacrée au culte Catholique, mais, plus souvent encore nous gémissons de voir des paroisses entières sans pasteurs pour les guider, sans ressources pour construire une modeste chapelle. Cependant notre population Catholique devient tous les ans plus nombreuse par l'immigration, de sorte que les évêques des villes, même les plus florissantes, sont souvent à plaindre, ne pouvant suffir à leur construire des églises à proportion de leur nombre toujours croissant. De plus il est dans la Province de New York des Evêchés récemment érigés où il faudrait se procurer un clergé plus nombreux, des églises, des séminaires, où tout, en un mot est, à creér. C'est donc à juste titre, et j 'ose le dire avec confiance, que nous vous prions de nous continuer vos allocations. Il nous reste à vous bénir de tout notre cœur, et à vous assurer de la reconnaissance et du respect de tous les Pères de notre Concile.

VENERABILIBUS FRATRIBUS

JOANNI *Archiepiscopo Neo-Eboracensi*, JOANNI *Episcopo Albanensi*, JOANNI BERNARDO *Episcopo Bostoniensi*, JOANNI *Episcopo Buffalensi*, BERNARDO *Episcopo Hartfordensi*, JOANNI *Episcopo Brooklyniensi*, JACOBO *Episcopo Newarcensi*, *et* LUDOVICO *Episcopo Burlingtoniensi in fœderatis Americae regionibus.*

PIUS P. P. IX.

VENERABILES FRATRES, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM:

OBSEQUENTISSIMAS Litteras a Vobis subscriptas reddidit Nobis Venerabilis Frater Joannes Episcopus Buffalensis, quem omni benevolentia excepimus, ac de vestris rebus loquentem libentissime audivimus. Non mediocrem certe ex ipso Venerabili Fratre, et iisdem vestris Litteris jucunditatem cepimus cum magis atque magis noverimus quae sit egregia vestra erga Nos et hanc Petri Cathedram Catholicae veritatis et unitatis centrum pietas, amor, et observantia. Ac perlibenter intelleximus qua episcopali sollicitudine primam Neo-Eboracensem provincialem Synodum concelebrandam curastis, cujus acta more majorum ad Nos misistis,

ac precati estis, ut illa probare, vel etiam, ubi opus sit, emendare velimus. Congruum responsum accipietis a Nostra Congregatione fidei propagandae praeposita, cui ejusdem Synodi acta cognoscenda mandavimus, et in Litteris ipsius Congregationis novum habebitis documentum praecipuae benevolentiae, qua Vos, Venerabiles Fratres, Ecclesiasque vestras impense prosequimur. Interim vero, dum vos certiores facimus, vestris votis a Nobis perlibentur fuisse obsecundatum in eligendo novo Vindelensi seu Portlandensi Episcopo, haud possumus, quin meritis laudibus efferamus pastoralem vestram sollicitudinem, qua impulsi ex Sacrorum Canonum praescripto convenistis in unum, et invocato Spiritus Sancti lumine, communicatisque invicem consiliis ea constituere studuistis, quae ad Cleri disciplinam, populique fidelis pietatem magis magisque fovendam, ad vitiorum germina convellenda, seductionisque pericula propulsanda, ac juventutem vera fide, solidaque virtute accuratius instituendam conducere queant. Dum autem hunc vestrum zelum Catholicis Antistitibus plane dignum summopere commendamus, Vobis addimus animos, ut divino auxilio freti pergatis majori usque alacritate omnes vestri muneris partes implere, nihil unquam intentatum relinquentes, quo sanctissima nostra religio, ejusque salutaris doctrina in istis regionibus majora incrementa suscipiat, ac miseri errantes ad salutis semitam redeant. Nullis vero curis, consiliis et laboribus unquam parcite, Venerabiles Fratres, ut, si in vestris diœcesibus reperiantur infideles, qui sedeant in tenebris, et umbra mortis, illos evangelicae legis luce illuminare, et Christo lucrifacere

valeatis. Quo vero facilius vestrarum diœcesium indigentiis consulere, et navos ac industrios operarios habere possitis, qui auxiliariam Vobis in vinea Domini excolenda operam praebeant, optamus vehementer, quemadmodum nonnullise vestro ordine hic in Urbe non levi animi nostri gaudio occasione Dogmaticae Nostrae Definitionis de Immaculato Deiparae Conceptu commorantibus jam significavimus, ut collatis consiliis, consociatisque viribus proprium vestrae nationis Clericorum collegium in hac ipsa alma Urbe Nostrá erigere velitis. Nam pro vestra sapientia probe noscitis quantae in istas Diœceses ex ejusmodi institutione utilitates possunt redundare. Hoc enim pacto juvenes a Vobis electi, et in hanc urbem missi in spem religionis, veluti in plantario crescent, qui pietate, bonisque artibus hic imbuti, et incorruptam doctrinam ex ipso fonte haurientes, ac ritus, sanctissimasque caerimonias ex Ecclesiae omnium matris et magistrae more, institutisque addiscentes, atque optimis disciplinis exculti, cum in patriam redierint, vel parochi, vel concionatoris vel praeceptoris munus rite obire, atque exemplo vitae populo praelucere, rudemque plebem erudire, et errantes ad veritatis, et justitiae semitas reducere, doctrinaeque praesidiis insidiantium hominum fallacias refellere et insaniam redarguere poterunt. Si huic Nostro desiderio, quod spirituale istarum regionum bonum unice spectat, Vos obsecundare volueritis, Nos certe, quantum in Nobis erit, haud omittemus, Vos omni studio juvare, ut idem Collegium constituere possitis. Denique persuasum habeatis velimus, fervidas clementissimo misericordiarum

Patri preces a Nobis offeri, ut uberrima quaeque Suae Bonitatis dona super Vos propitius semper effundat, quae in dilectas quoque oves Vobis commissas copiose descendant. Atque horum auspicem, et studiosissimae Nostrae in Vos caritatis testem Apostolicam Benedictionem ex intimo corde profectam vestrum singulis, et universis istarum Ecclesiarum Clericis, Laicisque fidelibus peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Petrum die prima Januarii, Anno 1855.

Pontificatus Nostri Anno Nono.

PIUS P. P. IX.

DECRETUM

S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE.


REFERENTE Emo. ac Rmo. Dno. Cardinali Benedicto Barbarinio in generali S. C. de Propaganda Fide conventu habito die trigesima Aprilis, 1855, EE RR. ac PP. censuerunt Acta et Decreta primi Concilii Provincialis Neo-Eboracen siquod celebrari cœpit die xxx Septembris, absolutum vero est die viii. Octobris anni 1854, nonnullis modificationibus* adhibitis juxta habitam instructionem esse approbanda.


Hanc vero S. C. sententiam Illmo Dno Nno Pio. Div. Provid. P.P. IX. relatam per infrûm Secretarium die XIII. Mensis Maii anni 1855, Sanctitas Sua benigne probavit et vulgari mandavit.

Dat, Romae ex Æd. dictae S. C. de Prop. Fide die nona Julii, 1855.

J. Ph. Card. FRANSONI, *Præf.*
Al. Barnabo *à Secretis.*

* Modificationes S. Congregationis in italicis sunt imprimatae.




Syracuse, N. Y.
PAT. JAN. 21, 1908

